

Die 9 iulii
Beatæ Mariæ Virginis
Adunctionis
 III classis

Ant. ad Introitum

Io. 19, 25

Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus, María Cleophæ, et María Magdalena. Ps 105:47 Salvos nos fac, Dómine Deus noster, et congrega nos de nationibus: ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua. **¶** Gloria Patri...

Oratio

Deus, qui dispersos congregas et congregatos conservas; quæsumus, per intercessionem beatissimæ Filii tui Matris, Dóminæ Nostræ Adunctionis, super Ecclésiam Tuam unionis gratiam clementer infunde, ut, summo Pastore duce, fidéliter tibi váleat famulari. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus: per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Léctio Libri Judith

Jud 12, 22-25

Benedixit te Dóminus in virtute sua, quia per te ad nihil redégit inimicos nostros. Benedicta es tu filia a Dómino Deo Excélo, præ ómnibus muliéribus super terram. Benedictus Dóminus, qui creávit cælum et terram quia hodie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fuérint virtutis Dómini in ætérnum, pro quibus non pepercisti ánimæ tuæ, propter angústias, et tribulatióne generis tui, sed subvenisti ruínæ ante conspéctum Dei nostri.

Graduale

Isai. 58, 12

Adificabuntur in te desérta sæculórum: fundaménta generatióneis et generatióneis suscitabis. **¶** Et vocaberis ædificator sæpium, avertens semitas in quietem.

Alleluia. Alleluia. **¶** Sicut Móyses exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Fílium hóminis. Alleluia.

X Sequéntia Sancti Evangélii secúndum Ioánnem.

Io. 17, 11-23

Jin illo tempore: Sublevatis Jesus oculis in cælum, dixit: Pater sancte, serva eos in nōmine tuo, quos dedísti mihi: ut sint unum, sicut et nos. Cum essem cum eis, ego servábam eos in nomine tuo, quos dedísti mihi, custodivi: et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptúra impleatur. Nunc autem ad te vénio: et hæc loquor in mundo, un hábeant gáudium meum impletum in semetípsis. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos ódio hábuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritáte. Sermo tuus véritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctífico méipsum, ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui crétiduri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego cláritatem, quam dedísti mihi, dedi eis: Ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me: ut sint consummati in unum.

Ant. ad Offertorium

Stabat sancta María, cæli Regina et mundi Dómina, juxta crucem Dómini nostri Jesu Christi dolorosa.

Secreta

Húnera hæc pro únione pópuli christiáni tibi, Dómine, oblata sanctifica: per quæ unitatis et pacis in Ecclésia tua nobis dona concedas. Per Dóminum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus: per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Ant. ad Communionem

Benedicta filia tua Dómino: quia per te fructum vitæ communicavimus.

Postcommunio

Redemptionis nostræ múnere vegetati, quæsumus Dómine: ut hoc perpétuæ salutis auxilio, fides semper vera proficiat. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus: per ómnia sæcula sæculórum. Amen.